



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. I. Togatum & Sacerdotem de bello disputare conuenienter posse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

POLITICORVM

LIBER DECIMVS.

DE BELLO.

CAPVT I.

*Togatum & Sacerdotem de bello disputare
conuenienter posse.*

*Militia spi-
ritalis, &
externa.*



MILITIA est vita hominis super terram; quocirca laborare me iubet Apostolus sicut bonum militem CHRISTI IESU, sed nunquid militiam illam, quā vita eripitur inuafori, præcipit, cum ad nomen respondere imperat, & stare in procinctu? Spiritualem militiam contra aëreas potestates, tenebrarum harum edicit; Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Rom. 13. 11. Quæ vocat 2. Cor. 6. 7. arma iustitiæ à dextris, & à sinistris. Nam reuera secundum carnem ambulantes, non secundum carnem militamus, arma enim militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum. 2. Cor. 10. 4. Quid igitur cū armis carnalibus spirituali? quid armis illis, quibus interficitur inimicus, si pro illis orandum est? si bene faciendum his, qui nos persequuntur? Duo igitur de bello tractanti obijciuntur. Primum non posse belli in expertem ex ymbræ dare præcepta certantibus. Alterum id minime decere sacerdotem, & religiosum, ut cuius sit munus, libros & templa tueri,

Bella viri, pacemq; gerant, quæ bella gerenda.

§. 2. Ad hæc respondere, ut tam obreptantium cōuitio, quam beneuolorum quæstioni satisfiat, in vestibulo huius libri mihi propositum est.

*Confilia
belli dare
rogatus po-
test.*

Et quidem si obijcitur togatum de bello scribere alienum esse, atque absurdum, si dicant: Tunc hæc audebis homo ymbraticus? qui serio nunquam castra videris, nunquam denique partem vllius bellici muneris attrigeris. Respondit iam olim pro me maior inuidiā, altior calumniis Justus Lipsius l. 5. polit. cap. 1. Ego vero audeo, nec mei tamen ingenij aut virum fiducia, sed eorum à quibus iam diu mutuo & sumo. Quid enim hic meum? ordo aliquis & contextus fortasse? at verba sensusq; mihi præeunt illi, quos in hac ipsa re (fidenter dicam) Annibal aliquis audire nihil abnuat, aut ipse Caesar. Nam quid sapientes inclutosq; illos viros fugit? cur non hic quoq; rectum eorum & parum iudicium? qui partim interfuerunt, imo & presuerunt, bellis: partim in senatu & populo illo versati sunt, vbi assidua materies & agitatio harum rerum. Viderunt igitur, audierunt; & quod caput est, cum iudicio obseruauerunt, causas ipsas, originesq; rerum, nec æquæ & eis solum euentuum, sed æquæ ipsa. Alexander ille, in re quidem bellica verè Magnus, Homerum sibi militiæ magistrum assumere, & asserere nihil verebatur: non meliori iure ergo mihi istos? Nam vates ille (eximus sanè & supra hominem vates, sed tamen vates:) quid nisi vnum bellum, & id ipsum fabellis aspersum decantauit? Nostri isti, (historicos me intelligere palam est) ab omni pœnæ auro bella, continuatā serie, & intermixta fide scripserunt. Nec id tantum, sed sepe in ipsa narratione, aut extra eam in concionibus, velut data opera sa-

luberrima monita & consilia miscuerunt ad omnem rem militarem. Quæ eius pars siue ars est, quam non ii cum exemplis subiciant, tum verbis etiam delibent: ut de exercitu, de castris, de Agminibus, de signorum collationibus, de Oppidorum oppugnationibus, de Commeatu, de Insidiis faciendis atq; vitandis, de reliquis rebus, quæ sunt propria belli administrandi. In quibus cum tot iam annos verfer, & curioso isto mētis oculo quotidie vagor per latos & letos illos Historiarum campos: cur non mihi etiam fas intelligere & iudicare aliquid in istis? Non enim vidisti, inquit. Certè, ideoque nec vsum aut tractationem armorum mihi vindico; sententiā & iudicium tantum, eaque ipsa ascripta sententiā aliena. Ecce in circulis omnibus, atque etiam, si diis placent in conuiuiis, sunt qui exercitum ducunt; vbi castra locanda sunt, sciunt; quæ loca praefidiis occupanda; quando cum hoste manus conferenda, quando quiescendum sit. Et hoc nemo carpit. ego canicula & impudens, si verbum his de rebus faciam ex veterum mente? Iphicrates olim interrogatus, τίς οὐκ ἔστιν ἐγὼ εὐεὶς; ἀπεκρίθη ἰππάρχης, ἢ τοξόμος, ἢ πελταστής, ἢ ἀσπίς; Οὐδείς ἐστιν, τούτων, ἀλλ' ὁ πᾶσι τούτοις ἐμπιστευόμενος & ἐπ' αὐτῶν. Quis tu es qui tantos spiritus tibi sumis? vtrum eques, an sagittarius, an veles, an legionarius? nihil horum inquit: sed qui his omnibus noui imperare. Aemulabor in parte, & dicam; non ego dux aut miles, sed qui his in tempore consulere aliquid possum & suadere. Itaq; pergam audacter, nec vacillanti pede in inepto, & ex veterum scriptorum velut hortis sententiarum flores legam, & intexam in has capitum corollas.

§. 3. Eadem hic quidem mea causa est, eademq; defensio. Cur enim in me exiguo reprehendatur, quod in illo viro magno laudatur? Et sane nimirum quam à vera sapientia ac ratione abeunt, quia omnia experientiae tribuunt, nihil studio, diligentiae, ingenio, cum ratio certissima dux, experientia etiam utilis, nunquam tam omnibus numeris absoluta: & si longævum & felicem imperatorem audiamus; manet tamen illud, quod ipsi milites fatentur: sana ratio omnibus praefertur exemplis: quamquam omnia mea clarorum virorum exemplis docere, & firmare constitui, ut quod deest auctori, supersit integritati doctrine. Quod eo minus nouū videri debet, quod omnes fere de bello libros à rogatis, historiaeque scriptas legimus, qui etiā de ducibus, regumque bellicis consiliis prudentissime iudicant, cum bella tamen illi non gesserint; cum vero hunc in finem historiae in Academiis explicentur lectissimæ iuuentuti, non ut hominum scelera, caedesq; annalibus conditas intelligant; sed ut quid quoque in resequendum fugiendumq; sit, percipiant; neco sanè prudens iudicabit, ab officio historici alienum esse, de belli gerendi ratione disserere, qui præcipuas historiae partes bella continere primo aspectu didicerit. sine hac igitur tractatione historia intelligi nullo modo potest: nec recte eruditior iuuentus instrui; cur mihi igitur, quem vocatio mea, atq; adeo propensio animi, studiorumq; amor iuuentutis commodis iam olim consecrauit, de iunctumq; tenet, vitio quispam vertat, si ex fideli historia optima pacis, & belli præcepta iuuentuti propono? Quæ si mala erunt,

*Sana ratio
praestat ex-
emplis.*

iam irrita esse iubeo, si bona, laudare etiam inimici debebunt. Historiam itaque bellicam ordine digestam, norma rationis, adminiculis exemplorum compositam, firmatamque dabo, non meo ingenio, sed regum, ducumque magnorum institutis absolutam.

Sacerdotes
veteris re-
ligionis
bellatores.

§. 4. Altera pars obiectionis dilutior etiam euadit; quamvis primo aspectu absurdum videatur, de armis tractare sacerdotem. Mihi vero & contrario videtur bono fine, iustis de causis sacerdotes posse ac debere interdum belli esse desceptratores. Moses sacerdos erat, & bellator eximius, nec minus Iosue minister Moysi quamquam sacerdos non esset, pietatem tamen & cuncta belli decora coniunxit. Phinees Eleazari summi Pontificis filius, belli dux contra Madianitas à Mose constituitur. Machabaei Pontifices magna bella gesserunt, & cur mihi de bello loqui non liceat? Clericis quidem belligerare vetitum est legibus Canonicis, monet tamen D. Bernardus Eugenium bella non eius manu, sed tamen auctoritate gerenda.

Bellis interesse Clerici interdum possunt. Nam militem fide, & pietate erudire, eorum licentia obfistere possunt ac debent, solari vulneratos, morientibus sacramenta exhibere. Et hac quidem de re nemo sanus dubitat.

Alia quoque praestare possunt, ut ad fortiter pugnandum militem adhortentur, etiam crucem praefertant, magnoque animo esse iubeant. Maiol. l. 5. cap. 49. Deus olim tubas esse in castris voluit, quibus clangerent sacerdotes, victoriamque bellatoribus conficerent. Num. 10. 9. Si exierit ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersum vos, clangeris vultantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo nostro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum. Ideo quoque Balaam vocat clangorem victoriae regis, qui erat in tabernaculis Israel. Sacerdos nouae legis si in periculo belli constitutus pro necessaria defensione decidat inuasorem, non redditur irregularis, quia in causa melior est eius conditio, quam militis, miles enim sponte nomen dedit, ut publica auctoritate occideret hostem, Clericus priuata se defendit contra inuasorem.

Clerici pugnare aliquid quando possunt.

§. 5. Sed neque bellum adeo grauius vetitum est Clericis, ut in graui necessitate, aut pro magna utilitate pugnare non valeant. Si patria sit in periculo, si speretur pax vniuersalis Ecclesiae. Ban. 2. 2. q. 4. o. art. 2. Henriquez. l. 1. c. 13. Omnes etiam concedunt Pontificis concessione pugnare Clericos posse. Episcopus sane bellum indicare, si id necessarium sit ad recuperandas vel defendendas Ecclesias suas, potest: itaque delectus habebit, militem coget, foederibus principum, auxiliisque se munit, ita Henriquez, Caietanus, Syluester, & ante hos S. Bernardus, S. Leo Papa.

Nimium igitur iniqui sunt in nos iudices, qui ut facile nobis calicem extorqueant, accincti gladijs nos inuadunt, & sola breuiarij armatura contentos nos esse iubent, quasi vero nobis pro legitimis nostris, aris, & templis pugnare non liceat, cum in Domini familia duo gladij fuerint.

In natura interdum Clericos pugnare cogit.

§. 6. Docet recte S. Thomas 2. 2. q. 30. art. 2. Non licere Clericis pugnare, quia bella valde repugnant officijs Clericorum. Executione ordinum illi priuantur, cap. Clerici, & cap. Quicumque 13. q. 8. iubentur retrudi in monasterio. Quia tamen lex illa naturalis non est, nec diuina, sed Ecclesiastica duntaxat, non modo tolli à legislatore potest, sed interdum re ipsa tollitur eius obligatio, cum alia lex grauior obligat. Si enim Respublica sit in graui discrimine, possitque seruari, si in milites Clerici cooptentur, naturalis est, ut ipsi quoque manu pugnent; iuris enim

naturalis obligatio requirit, ut suam quisque Rempublicam tueatur. Quod si in bello offensiuo Respublica est in grauissima necessitate, poterit & in eo clericus manu sua pugnare. De bello defensiuo concors est sententia in summa necessitate, vel maxima utilitate licitum esse. De offensiuo negant, verum contingere potest, ut offensiuum sit & quod necessarium, in bello enim crebro occupare & praertere oportet.

Bene militem regere, est hostem vincere.

§. 7. Quaecunque initio de causis, cur politica tractanda susceperim, praefatus sum, eadem hic quoque locum suum habent. Nam ducem, Legatos, Tribunos, Centuriones omni prudentia politica adniti debent, ut exercitum regant, homines feroces, & arma tenentes, idque in magnis periculis, ex quibus facile motus, dissensionisque oriuntur; dum prospera sibi, aduersa ducibus imputant. Summa igitur artis est militem regere: quod si recte fiat, hostem facile est vincere. Haec igitur eo fine & modo tractaturus sum, ut legendis historijs, bellisque, iuuentus fructum capiat, & cum matura adoleuerit aetas, bella etiam necessaria gerere possit, fauere conatui debet etiam maleuolus, successum praestare ipse non possum.

Hac tractatio ad historiam necessariam est.

Omnes plurimum Lipsio debemus, qui intelligendis historijs, faciem historicam, non ex superbia, sed ex proposito appellatam accendit, id est, inquit, ut mores Romanos, publicos, priuatosque proferam, (atibi & Gracos) arg, eos ita illustrem, ut simul loca scriptorum veterum, qui alludunt vel tangunt. Hoc cam diffusum, imo & confusum sit (negare non possum) placuit excerpere primum ex omni cumulo quidquid ad militiam facit, & id iunctum proponere, & serie aliqua ac cohaesione rerum. Ideo quae ad militiam: quia ea non creberrime sed assidue in historia occurrit, & omnem in ea paginam, ut sic dicam, facit. Ut enim vita nostra publica est, sic scriptio: illa ab auro in aurum, turba & bella: ergo & annales qui aurum representant. Atque ego sciens & gnarus dico, nihil esse quod magis sisat aut remoretur iuuentutem quam militiam prisca ignorantia: cui malo ante omnia medemur, & hanc caliginem nostra face (pro copia quidem ingenii) imusdapsulsum.

Mihi quoque propositum est, non modo intelligendis veterum gestis, sed imitatione quoque exprimendis iuuentutem exercere. Consilia enim de illis rebus dantur, quae sunt faciendae. Hoc enim pertinet ad bonum publicum, cui imprimis milites seruiunt.

§. 8. Denique cum de bello omnium Politicorum, Iurisperitorum, Theologorum, Scholasticorum, Canonistarum lucubrationes essent, cum multae quaestiones ad tribunalia, & conscientiam pertinentes explicandae sint, manifestum est, hanc à me partem negligi non oportere. siue Theologicas, siue Politicas tractationes spectes. His vero adiungere nonnulla polemica consilia magnorum ducum, mihi non laboriosum, iuuentuti vero gratissimum & fructuosissimum fuerit. Neque tamen hoc iudico ad bellum gerendum eos adhibendos, qui disceptare & perorare de bellis solent; ipsi enim in acie forte omnium suarum praeparationum obliti terga darent hosti: sed vtatur milite exercitato Respublica, qui exequi, non iudicare duci dicta norit, ducibus autem, qui & haec legerint, eisque uti, vel hostem vtentem eludere queant. In praesidijs enim, itineribus, obsidionibus praeter opinionem varia eueniunt, quae subitam prudentiam exigunt, tum vero exercitatus & legendo, & belligerando Imperator ad subita Consilia expeditus erit, haec enim omnia eo pertinent, ut in periculo Consilium sit, & inopinatis casibus explicent se duces, aut hostes implicent; Magni enim Imperatoris est prudentia non sanguine vincere. Hoc enim supra omnes triumphos est bono stratagemate hostem decipisse

De bello disputant qui pugnare non possunt.

CAPVT II.

Belli definitio & detestatio.

Bellum est
ferocissima
bellua.

§. 1. **S**entiunt facilius bellum integræ ciuitates, quam pauci definiunt. Est vero bellum ut definit Lipsius, *vis & arma in principem aut populum alienum*. Sine dubio intelligit vim illatam à summo Principe, vel Republica, si enim à parte vel à paucis inferatur nullo publico Consilio, latrocinia sunt potius quam bella. Hebræi *לחם בלחמה* & *חמא בלחמה* quod est comedere, deuorare. Est enim *ὁ πόλεμος* & *δὴμος* bellum vorax populi. Hinc diuinus Spiritus in scriptura os tribuit gladio, & perire dicuntur in ore gladij. Deuteronom. 32. 42. *Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes*. Bellum igitur horrenda belua est, quæ innumeris sagittis fugit cruorem morientium, & gladijs carnem secat, ac viscerationibus pertusum ventrem farcire conatur, nunquam autem etiam temulenta satiatur.

Summus
honor ex
sanguine
hominis.

§. 2. Belli innumera mala sunt, nullum grauius, quam quod tam magna decora & triumphj de hominum cæde petuntur. ferarum mutuos laniatus, venationesque cernimus, sed pasta cessat crudelitas, homini occidisse hominē gloriosum est. Et satis causa videtur esse, ut tam sacrum animal interficiatur, si victoris nomen acquiratur occisori. Quot enim gentes nulla sua culpa, sed crudelissima ambitione perierunt? Non inficior, eos qui iustorum bellorum administri fuerunt, quique pro patria vulnera acceperunt, meritis præmijs decorandos; verum hanc humani generis calamitatem deploro, quod pro folijs lauri nationes integræ concidantur, quodque cupidine triumphandi bella ferantur, & maior sit gloria multos hominum occidisse, quam multos seruasse. Alexandrum, Cæsarem, Machometem, Tamberlanum admiramur. & summæ laudis habetur multos malos, & multos innocentes sine discrimine occidisse: quo titulo Nemeum, Leonem, Hydram, Lernæam, Aprum Caledonium laudare possis. Fæda est professio Cæsaris, vndecies, nonaginta duo hominum millia à se occisa; & de bello ciuili nondum loquitur. Pompeius in delubro Mineræ inscripsit; à se vices semel centena, octoginta millia fusa, fugata, occisa, in deditionem accepta. Quid est hoc, *ὁ δὲ υἱός* meus, ut in societate humana, inter erudita etiam ingenia fastigium laudis teneat, multos occidisse? Nec velari prætextu iustitiæ tanta potest inhumanitas; in ea gloria fuerunt etiam, qui iniusta bella gesserunt. Frustra hæc querimus. Bella cum nato mundo fuerunt, & bellantes decretoria dies inueniet. Duobus fratribus angustus erat mundus, in quo Caino videbatur Abel fore beatior; secuta sunt bella Gigantum, & discordes in vnum gurgitem caraclysmus inclusit. Post diluuium primo familiam gubernauit Noe, & filij eius, donec diuisa terra est, regnauitque Nemrod in campo Sennaar. Quin etiam bella grauiora fuerunt, Noacho, Semo, Iapeto, ac Chamo viuentibus. Nec pacem conciliare inter posteros proauj, aut patresque potuerunt. Bella illa narrantur Gen. 14. quæ contigerunt annos 344. post diluuium, quo tempore, Noe, Sem, Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg, Reusarag, Nachor vitam agebant, ut mirum fuerit, tam cito exstitisse tyrannidas. Nam hoc prælium quod Moyses recenset, primum non fuit, iam enim annos duodecim reges illi seruierant Chodorlahomor regi Elamitarum, victi igitur bello fuerant ante annos duodecim, & visitata iam erant bella, cuius rei indicium est, quod Chodorlahomor fœderatos habet reges, & cum regnet in Elymaide longo spacio à Chanaanais, eos tamen seruitio pro-

Bella anti-
qua.

mit. Quin & crudelia bella fuerunt, Gen. 14. 5. Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, & reges qui erant cum eo: percusseruntque Raphaim in Asarothicarnaim, & Zuzim cum eis, & Enim in Saue Cariathaim. & Chorroas in montibus Seir, vsque ad Campes tria Pharan, quæ est in solitudine. Hac disciplina, ac serie bella ad nostra vsque tempora continuata sunt.

Mox à di-
ludio cru-
delia bella.

§. 3. Bellorum etiam iustissimorum malum est commune, quod in illis disciplina iaceat, vitia inualecant: Cum enim in bello maximi labores, cõtinaua sint pericula, voluptatum & omnium vitiorum dulcedine stolidos militum animos detinent, ne castra deferantur. Hinc mores nulla res æquè corrumpit, atq; militia, quippe in quâ pleraq; impune committuntur. Feros itaque, & omnium malorum cupidos bellum efficit. Quæ enim in Repub. & bene constituta ciuitate flagitia censentur, in castris ludi sunt. Quæ namque facies malorum in captis ciuitatibus abesse solet: ita multo sunt miserabiliores, qui victoriam sceleribus ingentibus contaminant, quam illi quos trucidant. Fere n. maiora scelera committuntur dum ciuitas capitur, quam ea sunt, quibus meretur capi. Tantæ impietatis indubium signum est, quod in presenti periculo, inter strages morientium de salute cogitationem seriam non suscipiunt. Mortem in labris habent, experiunturque, quod ille ait

Bello vitia
aluntur.

Κοινὸς ἐστὶν ὁ πόλεμος, ὃς τοὺς καλὰς ὁρίων ἀλλέλει.

Mors communis est, occidentem occidit.

Atque illud est, quod duratum malis animum, gratiaq; diuinæ contumacem ostendit, non constanter mori, sed vitis suis immori. Nullo periculo moueri ad pœnitentiam, malis ipsis indurescere. Cautela est, quia tantorum certaminum finis sunt diuitiæ.

Mors sine
preparatio-
ne subitur.

*Vsque adeo solus ferrum, mortemq; timere
Aurine scit amor; pereunt discrimine nullo
Amissa leges, & pars vilissima rerum
Certamen mouisset opes.*

§. 4. Hinc nec Ethnicis à Deorum suorum delubris superstitio, nec Christianis à sacris ædibus violandis religio deterruit.

Religio bel-
lo perit.

Laudatur Fabij humanitas, quod cum Tarentum euertisset, in Deos nō leuaret, sed diceret. Relinquere se Tarentinis Deos iratos. Laudatur ergo Fabius, q̃ simulachrorū depredatione abstinuisset maluit, quam multa grandiaq; auterre. Veteres quidem et in templis deorum nequiores erant. Ipsa, ut dixi Troia (ait August. l. 1. de Ciuit. c. 4.) mater Romani populi sacratis in locis deorum suorum munire non potuit ciues suos ab ignibus ferroque Gracorum, eosdem ipsos Deos colentium: qui etiā Iunonis asylo Custodes lecti Phenix & dirus Vlysses. Pradam afferuabant, huc vndiq; Troia gazæ Incensis erepta adytis, mensaq; Deorum Cratereq; auro solidi; captiuag; vestis Congeritur. Pueri & pauide longo ordine matres Stant circum.

Electus est videlicet locus tanta dea sacratus, non vnde captiuos non liceret euacere, sed ubi captiuos liberet includere.

Non quidem scelus erat, idolia illa, & Lupanaria excindere, verū immane sacrilegium, cum videmus à Christianis, ne quidem templis Christianorum, sacrisque parci. Athenæ illæ omnium literarum & humanitatis inuentrices, non iustitia, aut pietate bella gessisse, sed opum causa, illi qui auxilium petierunt, testatur. Egessenles ideo insigni stratagemate Athenienses eluserunt, pecunia enim auxilia comparaturi, à vicinis accepto, mutuo, fana, & ædes ornauerunt, & falsa diuitiarum opinione auxilia habuerunt.

§. 5. Principi bellum semper rimendum est, quamuis hostes imbecilles sint, minimeq; pares. Nam incerta est bellalea. Diogenes Cynicus Philippo exprobrabat: stultitij se illius spectatorem esse, qui tam multa possidens omnia in discrimen mitteret, id que nulla

Incerto
belli fructus
certus labor